

*Solvere, mastrucis proceres vestire togatos,*

*Iamq; ruens, Venetos turmis protriverat agros.*

De Ataulpho Gothorum Rege refert Orosius lib 7. cap. 43. illum qui esset animo viribusq; nimius, in primis ardens inhiasse, ut oblitterato Romano nomine, Romanum omne solum *Gothorum imperium* & faceret & vocaret: essetque *Gothia* quod *Romania* fuisset, fieretq; nunc *Ataulphus*, quod quondam Cæsar Augustus &c. Wilhelmus Gemiticensis lib. 1. de Ducib. Norman. narrat cap. 19. de Hassingo duce, quomodo ardens Romam invadere & evertere, errore Lunis civitatem appulerit, & destruxerit. Tantum erat apud illos populos Romani nominis odium. Ideoq; cum tempus advenisset ultionis divinæ in illos orbis prædones & gentium tyrannos Romanos, ex abscondito quodam orbis angulo, ubi putabatur vastitas quædam esse terrarum incolis carens, tantumq; feris habitata bestiis, uno momento tanta hominum inundatio prorupit, quæ totum orbem implere posse videretur. Tum statim à Gothis ablata Romanis omnis ferè Græcia, insuper Italia & Hispania; à Bulgaris Dacia atque Mysia; à Vandalis tota Africa; à Francis Germania & Gallia; à Saxonibus Britannia; à Sclavis Sarmatia, Dalmatia, Illyricum: nec multo post à Saracenis Ægyptus, Arabia, Syria, Chaldæa, à Tartaris Armenia, Hircania, Colchis, & quicquid ad mare Caspium & Hircanum spatii interjacet; à Turcis universa minor Asia, cum Cappadocia, Ponto, Bythynia, & reliquis ad Persarum usque terminos Asiæ provinciis; à Persis quicquid in Indiam usque porrigitur. Quæ omnia barbaris gentibus hostibus Romani nominis cesserunt. Ut non vana fuisse imprecatio videatur cujusdam Romani apud Lucanum lib. 11.

— *date gentibus iras.*

*Donec venturus Antichristus.* ) Eius abominatione & honore, diuturnitatem Imperii Romani optare & à Deo petere solebant veteres Christiani. Tertullianus Apologetico: *Est & alia maior necessitas nobis orandi pro Imperatoribus, & pro omni statu Imperij rebusq; Romanis: quod vim maximam universo orbis imminentem, ipsamque clausulam sæculi acerbitates horrendas comminantem, Romani Imperii comiteatu scimus retardari. Id quod volumus experiri, & dum precamur differri, Romanæ diuturnitati favemus.* Et rursus paulo post: *Oramus pro Imperatoribus, pro ministris eorum, & potestatibus sæculi, pro rerum quiete, pro morâ finis.* Idem ad Scapulam prolixè

LI